

Coniectanea.

I Priscianus grammaticus ut πρὸς praepositionis usum ac structuram declararet XVIII 281 (Hertziani exemplaris vol. II p. 356) verbis compositis qualia προσέβλεψα et προσκαθεζόμενοι sunt haec interseruit: Attici ΠΠΟCONΩI πρὸς τὰ κέντρα μὴ λακκίζω, quibus comparat Terenti illud e Phormione *adversum stimulos calces*. Graeca sic edidit Hertzius, ex aliis codicibus ΠΠΟCONOY aut ONOC protulit, Nauckio in mentem venisse adnotavit Μέανδρος Ἰπποκόμεω vel Σοφοκλῆς Ἰππώνω. sane ex poemate fluxisse locutio videtur, quoniam paucarum syllabarum supplemento bonus trimetrus redintegratur ὁ βοῦς δὲ πρὸς τὰ κέντρα μὴ λακκίζω. verum nec tale versus principium nec tragoediae comoediaeve nomen recte exsculpi arbitror ex eis quas codices tradunt notis, aliud enim nihil hae significant nisi ἔππος ὄνω, quam praefationem dixeris aut interpretationem proverbii ab animalium natura fabulisque translati ad mores hominum. vix ullum iumentum asino propensius est ad impingendos calces isque in fabulis haud raro calcitrans inducitur, velut lupum χάσκοντα λακτίσας φεύγει et catulo male aemulatus ἦλθ' ἄμετρα λακτίζων. neque vero ullum magis insuevit verberari aut stimulari, unde in proverbium venit *qui asinum non potest, stratum caedit*. cum equo asinum compositum in Aesopiis fabulis duabus vides ita ut hic miseræ patientiae et ignaviae, ille nobilioris operae ac superbiae exemplum sit. similiter in illo apologo animosus docilisque quadrupes stupidum et aerumnosum cohortari fingitur, ut ne peius reddat pervercacia sua quod evitare non possit malum.

II Hoc proverbium alius me admonet quod semel Plautus adhibuit perquam obscuri multisque agitati controversiis. nosti Bacchidum scaenam festivam in qua paedagogus pristinam puero-
rum disciplinam et oboedientiam laudat, novam protervitatem

alumnorum parentumque indulgentiam queritur. nunc puer si magistro caput tabula rupit ob eamque rem apud patrem postulatur, hic illum tanquam virum fortem laudibus effert, paedagogum non modo non defendit ab iniuria sed etiam obiurgat conviciatur minatur, qua re fit magister quasi lucerna uncto expretus linteo. cui versui 446 Ritschelius subscripsit 'intacta reliqui verba obscurissima'. de sententia vero nos non posse puto ambigere. nam cum magister eum quem auxilium sibi laturum adversus puerum speraverat patrem quasi societate cum puero inita ipsum quoque secum belligerantem invenerit, proverbio illo hoc significari oportuit, spem quae iusta et certa fuisset inritam factam cecidisse miserrime, id quod utile ac profuturum videretur adiunctumque esset in auxilium, reapse offuisse et vertisse in damnum noxamque. uncta lucernam alunt et flammam augent, unguere ignem fere idem est quod adfundere oleum, itaque ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων Graeci dicebant et πῦρ ἀλείφεις et ἐλάκω πῦρ σβεννύεις (Plutarchus qui fertur in paroemiographis gr. I p. 345, 22 et 347, 48). porro linis ac linteis quid magis obnoxium igni est, quid commodius ad comburendum? tam lucerna linamentis accenditur oleo inbutis quam candela huius generis filo exardescit et lucet, arte quaesitum est et inventum aliquando linum quod ignibus non absumeretur asbestinum. unctum ergo linteum lucernae admotum flammam maximo opere adjuvare saevissimumque excitare ardorem debet, quemadmodum pater a magistro advocatus eius irae et indignationi succurrere facesque subdere debuit. at neque hoc factum est neque illud semper accidit, immo enim iniecto linteo potest ignis obrui, potest lucerna exstingui. atque veteribus linteae similiaque tegumenta, centones saga cilicia, in usu fuisse ad domandos ignes arcendumque incendium volgo notum est, quin etiam centonarii appellati sunt nomine ab illo apparatu ducto penes quos cura fuit incendiorum sedandorum. magistri igitur aestum pater sic refrigerat et frangit quo modo lucerna linteo oppressa exstinguitur. hinc elucere opinor quid valeat *expretus* vocabulum alioqui ignotum. etsi enim in Plauti fabulis prisca verba plerumque immutata sunt, tamen non nulla etiam inferior aetas aut conservavit integra aut ne omnino delerentur cavet, ea praesertim quae adeo exoleverant ut vis ac potestas iam non certo constaret, id quod nuper docui de *exafillato brachio*. isti ipsi vocabulo patrocinator Paulus Festi *expreta* antiquos dixisse testatus quasi expertia habita, nam Bacchidum versum hoc glossemate tangi satis probabilis est coniectura, quamquam neque ad proverbium neque ad vocem

singularem interpretandam inde quidquam lucramur. comprimuntur quidem flammae sed exprimitur nec lucerna cuius ignem neque homo cuius fervorem restinguimus. quam ob causam *exprettus* pro expresso scriptum esse existimare noli. mihi rationem eandem quam *expletus* ad ἔπλησεν, *expretus* habere videtur ad ἔπροσεν quod cum ἔξ non minus quam cum ἐν componitur, quod a spiritu flatuque ad incendendi et urendi notiones traductum est. *expretus quasi lucerna* magister mihi videtur esse violento tumidoque flatu restinctus igneque vigore orbatus, paene dixerim *ausgepustet*. e cognatis verbis in Italiam *pur* vel *pir* ignis nomen ad Umbros Oscosque pervenit, ad Latinos carbonis nomen ardentis *pruna*. vocalium in quarto pede hiatum non multum moror, quem etsi ipsum poetam admisisse nego, tamen et imperatorium aevum toleravit nec nobis ita remove datum est ut manum praestemus Plauti. facillimum quidem est duorum verborum quod nunc prius est posterius facere, gratiorem autem comparisonem fieri sentio transformata lucerna in id genus quod habet *κατασβεσθεὶς λίχνος*.

III In Marcelli Empirici libro medicamentorum multa reperiuntur remedia physica et incantamenta morborum quae nos rideamus, Marcellus ac veteres mirifice prodesse laborantibus crediderunt. quoniam superstitio haec a primis ad ultima antiquitatis tempora duravit, consentaneum est quae Marcellus memorat carmina et verba magica non uno tempore omnia ficta et inventa esse. non minus, inquam, hoc apertum est quam Homericos versus et trimetrum *θεὸς κελεύει μὴ κύειν κύλον πόνονος* in Marcelli chartas ideo pervenisse quod et Graeci et Romani huic superstitionis generi operam dederunt. et plurima quidem aut omnino commenta est recentissima aetas aut ita demutavit ut novis moribus ac linguae rationibus apta viderentur, velut quae praecantare debet ad ischiadem terens et colligens herbam britannicam pag. 171 ima editionis a Cornario factae: *terram teneo, herbam lego, in nomine Christi, prosit ad quod te colligo*. alia autem ex remotiore vetustate derivata sunt eiusque aliquod vestigium impressum habent, neque incantamenta solum sed etiam quae adhaerent aut circum sunt praeceptorum formulae. velut cum totiens compositum inveniatur *castus et purus, castus purusque, purus atque castus, purus castus* p. 57 58 65 66 al. — nimirum huiusmodi homo quod praebet aut adhibet remedium, eo nihil est praestantius — vetus lex in memoriam redigitur nobis illa a rhetoribus celebrata *sacerdos casta e castis, pura e puris sit* (Seneca controv. I 2). is cui fit remedium quo certius designetur, ex more naturali quem

hodie quoque a feris quibusdam gentibus observari tradunt, adicitur matris nomen, p. 111 *convertens titionem ter dices remedii gratia te facere, uti illud quod haeserit in faucibus tuis vel illius quem peperit illa, sine mora et molestia eximatur*, cetera exempla Iacobus Grimmus iam enotavit in eclogis Marcelli ad n. 40: sic in devotione Cumana mater prior scripta est, posterior pater Βετρούβιω Φήλικι ὃν ἔτεκε Βετρούβια Μαξιμίλλα, ὃν ἔσπειρε Βετρούβιος Ἐνέλπιτος (mus. rhen. XVIII p. 562 568). priscae sanctimoniae speciem in primis illa praecantatio habet quae faucium doloribus mederi narratur p. 105, locum qui in causa sit tribus digitis primis tenendum esse, reliquis duobus elevatis dicendum: *si hodie nata si ante nata, si hodie creata si ante creata, hanc pestem hanc pestilentiam, hunc dolorem hunc tumorem hunc ruborem, has tolles has tonsillas, hunc panum has paniculas, hanc strumam hanc strumellam, hanc relegionem evoco educo excanto de istis membris medullis*. in principio *si hodie* ego posui cum editum sit *exi hodie*, praecessit autem *dices*, nam antiqua haec est disiunctionis formula ut in carmine quo di ex obsessa urbe evocantur *si deus si dea est*, apud Plautum *si foris si intus volent*, apud Frontonem *si noctis si lucis id tempus erit*. potestque ut olim verbum fuerit additum *si hodie nata si ante natast*, quamquam sic quoque illa particippia defendi possunt ut non tantum ad pestem pestilentiamque sed etiam ad cetera mala referantur genere neutro. in fine conlocata tria verba ac duo nomina ternario binarioque digitorum numero videntur respondere, una triade excepta reliqua bifariam distributa sunt, singulare est et positu suo et significato *hanc religionem*. huic carmini quaedam est cum Vmbrorum vetustissimisque Latinorum precibus similitudo, alia eius aetatis voces qua iambica poesis vigit numerosque Plautinos referunt. Varronis saturis qui inscriptum legit *mutuum muli scabunt* vel *nescis quid vesper serus vekat*, sponte intellegit proverbium ductum esse ex senariis ac fabulis, modo nihil mutatum modo paululum, nam iustus versus ita disponi verba postulat *nescis serus quid vesper vekat*. similiter ad *ιαμβεῖα* e Marcellinis nescio an revocandum sit quod supra scripsi *sine mora et molestia*, certius habeo inde ortum esse quod p. 144 legitur in carmine utili ad digestionem ciborum: *lupus ibat per viam per semitam, cruda vorabat liquida bibebat*. memini enim sine copula item Plautum dicere *decedam ego illi de via de semita* in Trinummo 481. neque vero integri desunt senarii. p. 128 qui paronychia laborat, de ea contingere parietem et retrorsum digitum ducens ter dicere iubetur *pu pu pu*, qui averruncantis tan-

quam flatus videtur, deinde *nunquam ego te videam per parietem repere*. p. 250 carmen idioticum quod leniat podagram traditur: mane surgens in manus tuas exspues, a summis talis plantisque usque ad summos digitos manus duces, dices *fuge fuge podagra et omnis nervorum dolor de pedibus meis et omnibus membris meis*. non quidem politum id carmen est arte Terentiana neque ante imperatorum saecula natum, sunt tamen versiculi nec peius facti illis quos precatio Terrae matris et precatio omnium herbarum in anthologia Riesiana 5 et 6 exhibent. verum etiam melius et antiquius carmen indicabo, cui eam ipsam ob causam plus annorum ac vetustatis adrogo quod et deformatum numerisque paene exutum apud Marcellum legitur et conflatum cum verbis imitantibus musicum artificium aliud ac recens. p. 71 si in oculo varulus erit natus, digitis eum tenebis et dices *nec mula parit nec lapis lanam fert, nec huic morbo caput crescat, aut si creverit tabescat*. agnosces opinor senarium in quo postea mutatum sit tempus verbi, *nec mula peperit nec lapis lanam tulit*, sive futurum substitui mavis ut quod singulis tantum litteris a Marcelli scriptura distet. qui autem adhaeret versus accentum vulgarem sequens homoeoteletis continetur, sicut carmen ad corcum p. 154 *pastores te invenerunt, sine manibus collegerunt, sine foco coxerunt, sine dentibus comederunt* vel coci exsecratio in testamento Porcelli *de Theveste usque ad Tergeste liget sibi collum de reste*. recentissima haec est latinorum poematum forma, etsi primordia eius ipsa quoque ad horridam antiquitatem, immo ultra gentis romanae originem redeunt. ne repetam quae de Plantinarum dipodiarum consonantibus clausulis Vsenerus monuit in Fleckeiseni annali 1873 p. 174, quaternarios illos *nec huic morbo caput crescat aut si creverit tabescat* proxime equidem accedere puto ad exemplum priscae carminis quod pedum dolori mederi Sasernae scripserant (Varro rerum rust. I 2) *terra pestem teneto, salus hic maneto*. ac ne poetae quidem cum numeri Saturnii licentiam graecanicorum versuum disciplina ac legibus temperarent, in binis membris hunc extremarum vocum concentum omnino repudiarunt, nam et *bicorporos Gigantes magnique Atlantes* apud Naevium et levius tectiusque consonantia satis multa inveniuntur. frequentatum vero id modulationis genus antiquitus esse in sacris volgi magicis arbitror ob eamque causam Vergilium, quem Agrippa novae cacozeliae repertorem appellavit e communibus verbis quaesitae atque ideo latentis, dum hexametris incantari Daphnim facit, hanc immiscuisse mollissimam ac rarissi-

mam formam carminis *limus ut hic durescit et haec ut cera lique-
scit* ecl. 8, 80.

IV Hagenus anecdoton Helveticorum p. XLIX ubi rhetorica ex Iuliani arte aliisque libris excerpta proponit, epitheti exemplum hoc edidit: *audax Cratinus, iracundus Eupolis, grandis Aristophanes*. quod fuit cum iamborum specie inductus Varronis adtribuere vellem Parmenoni, repressit tamen errorem vetus interpret Persi qui ad saturae I versum 123 haec adscripsit: *unicuique suum epitheton dedit, si quidem audacem Cratinum dixit, iratum Eupolidem Aristophanemque praegrandem*. Persius eo loco suas saturas legere iubet qui illorum poetarum comoediis studuerint, non indoctos aut rudes moribus homines qui musam graecam cavillentur, italicis honoribus superbiant, a liberalibus artibus abhorreant traducique philosophum barbaturum gaudeant: *his mane edictum, post prandia Calliroen do*. de quo versu Iahnus parum recte mihi iudicasse videtur cum Calliroen scortum potius quam carmen notum dixit, universae enim ratio saturae (*quis leget haec?*), sententiarum contextus, similitudo edicti postulat ut libellum intellegamus idoneum quem plebes legat satura. argumentum quidem eius quod fuerit non liquet, ego neque Acheloi filiam nec Scamandri dici puto neque Oceani illam quam Nilus amavit (Servius in Aen. IV 250) neque amicam Coresi summa ex amore iniuria adfecti (Pausanias VII 21, 1), aptius vel eam puellam cuius virginitatem Scamandro oblatam rapuisse Cimon in decima Aeschinis epistula fingitur vel Syracusanam cuius *ἔρωτικὸν πάθος* multis Charito voluminibus persequitur aut denique aliam fabulam amatoriam eodem nomine ornatam statueris. sed libellum a Persio latinum ac lascivum significari certum est neque id veteres fugit interpretes, etsi de genere et materia poematis ambigua ac diversa iactarunt. ex quibus unus Calliroen cum Oenone confudit *quam Paris ante Helenae raptum habebat, quae deserta multum dicitur rupti amoris dulce flevisse consortium: hanc comoediam scripsit Atines Celer pueriliter*, eisque ineptiis meruit sane ut fraudis in suspicionem veniret Iahnio proleg. p. LXXII. verum sive Fulgentii hoc commentum est sive bona fide traditum, nomen scriptoris non potest non corruptisse librarius. neque inveni equidem quod nomen magis quadraret aut aequè bene quam *Asinius Celer*, hunc enim novimus aetatis illius virum celebrem et consularem Claudii Caesaris amicum eiusdem principis iussu interfectum (Seneca apocoloc. 13).

V Annaeus Cornutus qui Persii poetae magister erat multa

multiplicis doctrinae monumenta reliquit, quamquam splendore ac fama quaecumque ipse sibi posuit omnia facile vincuntur ab illo quod discipulus eius honori dicavit in satura quinta. est autem inter libros Cornuti a grammaticis memoratos unus de quo adeo nihil compertum habemus ut ne titulus quidem quinam ei fuerit pro certo dici possit. de hoc meam expromam sententiam, quia adhuc nihil prolatum vidi quod fide dignum esset, et si ipse verum non adsecutus sim, alios spero eandem rem rursus adgressuros fortuna meliore, nam moleste ferendum est praeripi nobis quae parata tamen videatur notitiam libri illa aetate compositi eiusque dissidentis a ratione aut specie librorum vulgari. Charisius enim p. 201, 12 K. sive quem ille describit Iulius Romanus postquam Plautino versu *in mundo* idem esse confirmavit quod palam et in expedito et cito, Caecilii quoque duo et unum Enni exemplum subiungit his verbis usus: *Caecilii quoque, ut Annacus Cornutus libro tab. castarum patris sui, 'profecto qui nobis in mundo futurum lectum'*. omitto illud *profecto qui* quod quamvis ipsum quoque mendo adfectum sit, tamen ad Caecilianam fabulam, non ad Cornutum pertinere omnes existimant, tuque licet cum his dissentias et *profert* aut simile verbum inde effici velis adnectique membro priori, nihil tamen ea coniectura valet ad titulum libri ante scriptum perfecte et absolute. Keilius fideliter expressit codicis scripturam *lib. tab. castar.* quorum verborum cuique deficientium syllabarum in fine quaedam notula inducta est. de litterato Cornuti patre agi Otto Iahnus significavit, librum patris vulgatum esse a Cornuto filio qui expoliisset aut praefatione auxisset Osannus pro certo habuit. librum *fabularum castarum* Lindemannus posuerat, dubitaverat Iahnus an *tabernariarum* faceret idque placuit Prellero, *I epistularum patris* ubi Caecili versus composuit Ribbeckius se coniecisse narrat. non pauca antiquitatis instituta ac vocabula ex inscriptionibus didicimus, cum scriptores plane neglexerint aut quasi clandestina voce memorarint: se viros Augustales quis nosset sine titulis oppidanis? exime de codicis litteris unam, scribe *tab. castr.*, fac in aliquo lapide id nos legere insculptum, nec dubium cuiquam erit quin tabularius castrensis dicatur aut castrense tabularium. licetne ad hoc exemplum interpretari *Cornutus libro tabularum castrensiu[m] patris sui?* quod si concesseris, quaeres quatenam tabulae hae sint castrenses. non tales equidem intellego quales procurator rationis castrensis aut adiutores eius conficiebant mandatum ab imperatore munus cura exsequentes tralaticia, sed testatas ut ait Catullus tabulas sive testamentum factum in castris. nam cum

pro testamento tabulae centiens vocentur, eae quas miles signat tam recte castrenses nominantur quam peculium militis et bona castrensia. tabulis ac rationibus aptum esse *in mundo* Plautinis exemplis qualis est Persae versus 45 quivis cognoscet, forensi in disceptatione *mundum* versatum esse Lucilius declarat *legavit quidam uxori mundum omne penumque: atqui quid mundum, quid non? quis dividet istuc?*, grammatico fortasse explanandum verbum visum est aut tutandum veterum scriptorum usu. philosophorum multorum extitere *διαθήκαι*, Testamentum Varro Menippum imitatus ita conscripsit ut se ipse faceret testantem tanquam de filiis de saturis suis, in ludo litterario fictum habemus testamentum Grunnii Porcelli. aut fallor aut philosophiae ille et grammatices magister libro singulari patris sui ediderat testamentum, sive militare id fuit ut ego conieci sive probabilius aliquid pro *castar*. quod amplectamur ipse invenies.

incerta certiore monitu compensabo. in Placidi glossis ubi *magmentum* explicatur etiam nunc haec legimus p. 67, 1 Deurl. *Cornutus quicquid mactatur id est quicquid distrahitur*. absurda interpretatio est neque in codicibus ita scripta videtur, quoniam Papiae eam editor vindicavit Maique exemplar *distatur* exhibuit. legendum *quicquid dis datur* sic ut olim praeceperat Iahnus Persi p. XIX.

VI Raro grammatici veteres qui cognationem litterarum explicant, faucium ac dentium vim animadvertunt et quo modo vox quaeque conformetur in ore memorant. recta tamen huius generis observatio in Terenti Scauri orthographia legitur, depravata illa quidem scribarum socordia p. 14, 3: *B cum P et M consentit quoniam origo earum non sine labore coniuncto ore respondet*. haec Keilius quibus nec rei experientia nec simplicitas dictionis fidem facit, in codicibus est *coniunctione*. Scaurus igitur physicam diligentiam his verbis manifestavit *origo earum non sine laborum coniunctione respondet*. quamquam de una litterula liquido iurare nolim, nam in eodem capite Lactantii (de opif. dei 10) laborum tegmina simul et compressionem labiorum circumferri video. p. 16 initio Scaurus Q litteram Latinos retinuisse ait propter notas et quia cum ea conspiret V consonans: *unde et Graeci coppa quod pro hac ponebant omiserunt, postquam usu quoque, quod auxilio eius litterae non indigebant, supervacuum visum est*. in his nec quoque cur additum sit intellegimus nec quid relativa enuntiatione illa opus fuerit. et librorum uterque *indigebat* praebet, alter ac potior *non* omittit. itaque nescio an scriptum reliquerit gramma-

ticus postquam *vau* quoque quod auxilio eius litterae indigebat supervacuum visum est inter coppa et digamma similem necessitudinem atque inter Q. et V intercedere ratus. nam verbum quod est *vau* paene ubique vitiatum est. p. 25, 13 adversatur eis qui Y latino sermoni supervacuum putaverunt: *cum quaedam in nostrum sermonem graeca nomina admissa sint in quibus evidenter sonus huius litterae exprimitur ut hyperbaton et hymnus et hyacinthus et similia, in eisdem hac littera utimur necessario.* non tacebo eisdem in hanc sententiam male cadere, requirere nos *in eis quidem*, sed aliud legenti mihi mirum visum est, *hymnus* relatum inter vocabula usu latino recepta. rectius pro graeco habetur et effertur p. 23, 1 *hypnos hymnos hyacinthos.* atqui codex melior *hymnis* tradidit idque restituendum est, quia Lucili versibus hoc nomen famam et auctoritatem adeptum erat. unde Velius quoque p. 81, 4 Hymnidem cum hyacintho et hymenaeo in exemplis posuit. Theseum qui amicus discipulusve Scauri credebatur quod ei missus esset hic libellus, nunc Keili docta manu conscissum ac sublatum videmus. Bernensis liber p. 28, 17 haec tantum testatur: *haec sunt quae urgenti tempore complecti tibi in praesentia potui: siquid exemplis defecerit vel quaestionibus, subiungetur*, Palatinus intersertum habet *potuit he si quid ex quo Theseu elicuerant editores.* at alterum tamen comma mancum est et nimis exile quippe cui desit *alias subiungetur* aut aliud verbum quo voluntas scriptoris apertius declaretur. et quoniam subiecit *nam quod ad rem maxime pertinet, regulam vides*, amicum sine dubio ipsum siquid usui praeterea videretur adnectere voluit. qua re Palatini scripturam ita corrigendam censeo *a te siquid defecerit subiungetur.* non integrum ad nos pervenisse Scauri commentarium constat, retractatum autem esse tam callide ut vetustiore a recentiore grammatico vix internoscas, uno argumento demonstrare lubet. nam p. 13, 8 de F et H haec narrantur: *quem antiqui fircum, nos hircum, et quam Falisci habam, nos fabam appellamus, et quem antiqui fariolum, nos hariolum.* tricolos sententia ita composita est ut e medio Falisci nunc tolli non possint, hos qui expellet, minimum est ut etiam qui subsecuntur antiquos abigat. tamen tollendi Falisci. Latinos et Sabinos F et H permutasse, antiquos habam vocasse communis memoria est, Velius p. 69, 11 *quam antiqui habam dicebant, nos fabam dicimus*, ipse Scaurus p. 23, 18 *quam nos fabam dicimus, antiqui habam dixerant.* Latinos et Graecos Scaurus respicere solet, priscos Italiae populos ille non magis quam tota grammaticorum qui tum fuerunt caterva. an Hadriani aetate *habam* Faliscos

appellasse credis? nempe in levioribus quibusdam rebus ab urbano municipale sermonem differre observatum est, Vestini et Marrucini etiam tum *commodo* pro *commode* extulisse traduntur. aut non praestabat scientia ac iudicio Scaurus qui grammaticus nobilissimus perhibetur Agroecio qui Tuscos effecisse ut S Latini inter liquidas ponerent vel deuncem decem uncias esse narrat, aut non illa fecerat de Faliscis verba. quo pacto hi illuc inrepererint, facile est explicatu. conditi enim ab Haleso quod mutata H in F dicti sunt Falisci, ut ait Servius in Aeneidis VII 695, ipsi quoque videbantur eam vicissitudinem litterarum experti esse quam Scaurus antiquo fabae vocabulo comprobabat.

VII Diogenis cynici epistulae, quarum novissime Bernaysius mentionem iniecit Lucianum cynicosque describens p. 96, satis multae sunt et admodum verbosae, antiquarum litterarum rerumque notitiae exiguum fructum adferunt, neque inventionis gratia nec facietis dictionis valde delectant. non mirum igitur quod non tantam in eas operam curamve grammatici impenderunt quanta opus erat ad perpurgandas. ac plurimum nuper profuit eis Hercherus cuius beneficio de codicum memoria aliquanto facti sumus certiores in epistolographorum graecorum collectione Didotiana, tamen neque omnia unus vulnera sanare potuit et monstrosas quasdam reliquit scripturas codicum propagine exortas suae diffisus virtuti. ex his unam mihi videor posse perdomare. epistula XXXVII Monimo Diogenes hospitium Lacydis lautumque aedium apparatus narrat: κλί-
ναι γὰρ ἐξέστρωοντο σφόδρα πολυτελεῖς καὶ τράπεζαι τινες ἐν τῷ κατα-
νακρῷ ἔκειντο, αἱ μὲν ἐκ βαριασπυροῦ, αἱ δὲ ἐκ σφενδαμίνων ξύ-
λων, ἀργυρομάτων ἀνάπλεω, ἐπὶ δὲ τούτοις θεράποντες εἰστήκεισαν
(p. 251). mensae igitur partim acernae erant partim ex alia et sumptuosa materia factae, ἐκ κυπαρισσίων quod in praefatione Hercherus suggestit, id nulla probabilitatis specie commendari fateberis. perscribere *νοου* eis quibus olim utebantur litteris, nihil aut minimum distare eas intelleges a ΛΙΘΟΥ. itaque reponendum αἱ
μὲν ἐκ Παρίας λίθου. feminini generis, sive poetarum consuetudine id ut praeferret scriptor commotus est sive exquisito quod fingit marmoris genere, exempla ex Aeliano Suidas prompsit in Παρίας
λίθου. in praecedente epistula ubi Diogenes Cyzicenis suasit ut aedibus suis loco Herculis Paupertatem inscriberent, civis hunc titulum abominatur quod illa malum sit: τί ποιοῦσαν ἀντήν, ἔφην,
κακὸν λέγεις; λιμὸν, εἶπε, ψῦχος καταφρόνησιν. ἀλλ' οὐδὲν γε τού-
των ὦν φης πενία ἄρα οὔτε λιμός, πολλὰ γὰρ ἐν τῇ γῆ φύεται δι'
ὧν ὅ τε λιμός θεραπέυεται τό τε ψῦχος (p. 250). recte lacunam post

ἄρα significarunt, nam duo illa οὔτε λιμός si quis delere malit, non satis faciat garrulitati scriptoris, qui quod paulo inferius dicit εἰσὶ καὶ ἐνθάδε ἐπικούροι, eo supra se declarasse indicat neque famem neque frigus non posse defendi. at ἄρα rursus uncialibus litteris mutandum est, ex his ut necessariam sententiam sic colligas οὐδὲν γε τούτων πενία δοῖ. simillime infra scriptum est οὐδὲ καταφρόνησιν ἐργάζεται πενία et statim post ταῦτα ἔδρα ἢ πενία. hoc ultimo loco gravius residet vitium ac nisi me fallit opinio ordo verborum turbatus est, sed quoniam emendatio mihi ipsi minus certa visa est, non morabor in eo. epistula XL cynicus Alexandrum adhortatur ut famulis copiisque regni ne fidat, nullum morbum aut febrem muris aut exercitu prohiberi ὥστε μὴ οὐχ οὕτω διατεθῆναι τῶν τυράννων ὄντα βούλει ὥσπερ ἂν τὸν ἀποροῦντα δοκοῦντα ἄνθρωπον (p. 255). notavit hunc soloecismum Hercherus inlatum a Boissonadio (in Excerptis codd. bibliothecae regiae X 2 p. 269), rectius eundem ἀπορεῖν proposuisse ait. nam libri habent τὸν ἀποροῦντα τὸν δοκοῦντα, id est quod desideramus in libratione antitheti τὸν ἀπορώτατον δοκοῦντα ἄνθρωπον. in epistula XXXIX p. 254: animae bonae ac superbae quae corpori non serviunt sed regunt omnia, nihil recipiunt nisi quod iustum sit, τῶν δὲ ἐναντίων μηδὲ ἐν, ἐφ' ἃ τὸ σῶμα ἀναγκάζει τὴν ψυχὴν ἡδεσθαι διὰ τὴν περιπεπλασμένην αὐτοῖς ἡδονὴν ἰχθίος τρόπον ἢ ἄλλου τινὸς ἀλόγου. patet ἡδονὴν peperisse futille illud verbum ἡδεσθαι, conveniebat pisci hamum, animae inlecebras appetenti hoc ἔσθαι. turpia turpiter feruntur XLII p. 256: ἔφθασεν ἡ χεὶρ μου τὸν ὑμέναιον ἄσαι, ἐγγίγνωσκε δὲ τὴν ἀφροδισίων ἀποπλήρωσιν εὐποριστοτέραν εὐρῆσθαι τῆς κατὰ γαστέρα. actio manus est, non cognitio: quod Palatinus liber exhibet ἐγγίγνωσκεν levi macula adfectum extitit ex ἐγγίγνωσκον.

VIII Senecae in apocolocyntosi tres aut quattuor loci adhuc non sunt plane enodati, leviores offensiunculae fortasse plures resident, unam habet extremi carminis versus quartus cap. 15. condemnatus Claudius apud inferos alea ludit pertuso fritillo: *cumque recollectos auderet mittere talos, lusuro similis semper semperque petenti, decepere fidem.* modum et rationem egressus est Wehlius cum alterum versiculum totum insititium pronuntiavit, verum tamen aliquid falsi subesse ille rectius iudicavit quam ego olim qui conatum eius imprudentem refutabam. neque enim lusuro Claudius similis est sed ludenti, immo ne ludenti quidem similis tantum, quoniam reapse ludum exercet, est plane ludens. deinde quia *petenti* non intellegis nisi adsumes *talos*, inter hoc et illud verbum male interiectum est quod per se stare solum a talorum nomine

ac dissociatum, *lusuro*. ergo huic substitui eiusmodi verbum necesse est quo non omne aleatoris sed unum solum negotium designetur, quale est petentis talos in alveo dilapsos et in fritillum concientis, tum quod pariter ac *petenti* talorum mentione revinciatur. legamus *fusuro*. scholiasta Iuvenalis XIV 5 fritillum pyxidem corneam esse tradit, *apud antiquos enim in cornu mittebant tesseras moventesque fundebant*. a lusore verbum ad lusoriam circam Ausonius transtulit in professoribus Burdig. I 28 Minervium laudans quod bolos in longo certamine factos per singula puncta recensens enumerasset omnes, *alternis vicibus quos praccipitante rotatu fundunt excisi per cava buxa gradus*.

Similitudo corruptelae adducit me ut subiungam scholion palimpsesti Bobiensis in Ciceronis Vatiniā sic transcriptum a Maio et Orellio p. 317, 12: *fuit autem illis temporibus Nigidius quidam vir doctrina et eruditione studiorum praestantissimus, ad quem plurimi conveniebant. haec ab obtrectatoribus veluti actio minus probabilis iactitabatur, quamvis ipsi Pythagorae sectatores existimari vellent*. Zieglerus qui codicem denuo legit et multa correxit in hoc museo XXVII p. 432, nihil ad illa discrepantiae adnotavit, suspicor tamen in ipso codice scriptum esse, adfirmo ab auctore mandatum chartis *velut factio minus probabilis*. argumento est et quae praecedit conventiculorum memoria et quod sequitur sectatorum vocabulum. huius factionis dux Nigidius, Vatinius adsecula habitus est, dixitque Calvus in Vatinium accusari a se hominem audacissimum, de factione divitem, sordidum maledicum teste Severiano (in Halmii rhetoribus p. 336, 6).

IX Asconium scriptorem historicum unice probamus et laudamus quod summa cum fide ac diligentia Ciceronis orationes enarravit, quod omisso oratoriae eloquentiae inflatque sermonis studio nihil rerum aut litterarum sciens neglexit quod temporibus orationum verbisque a Cicerone scriptis lucem adferre posset. acta diurna pervolutavit, orationem Milonianam sic ut Cicero apud iudices pronuntiarat exceptam a librariis, commentarios defensionum ab oratore incohatos, expositionem quam ille reliquerat consiliorum suorum adhibuit, Cominii in Cornelium orationem et quas Ciceronis obtrectatores finxerant quibus Catilina et Antonius responderent candidatoriae Ciceronis aliosque libros non paucos ex quibus vita oratoris resque ab eo gestae cognoscerentur aut legit aut saltem in manus sumpsit. hic igitur tam impiger et peritus et sollers interpres qui factum esse putamus ut certissima et amplissima de Cicerone testimonia, ab ipso missas Attico epistulas nullo umquam

verbo commemoraret sed plane ignoraret? has eum non vidisse scilicet. quoniam vero ex silentio fallacem saepe fieri conclusionem videmus, firmiter addo argumentum ductum ex ipsa Asconii enarratione. nam in candidatoria oratione p. 76 Kiessl. dum exponit Catilinam anno superiore repetundarum ex Africa accusatum esse a Clodio et absolutum cum Clodius turpiter praevaricatus videretur, haec verba ponit: *defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, a M. Cicerone, quod ego ut addubitem, haec ipsa Ciceronis oratio facit*, tum duas paginas ea de re sic disserendo complet, ut tacere Ciceronem suum erga Catilinam beneficium ipsumque illud iudicium identidem vocare in infamiam demonstret, denique nullum esse eius defensionis commentarium aut principium adfirmet. probabiliter mehercule haec disputata sunt omnia; dum Ciceronem alta voce clamantem audimus diripuisse Catilinam provinciam, absolutum esse per iniuriam, non tam absolutum quam ad maius supplicium reservatum, tantisper Asconio adsentimur et cum eo quaerimus stupentes *verine simile est haec eum Catilinae obicere si ipso defendente absolutus esset?* at enim Ciceronis dicta factaque inter se non usque quaque convenerunt, saepe alia fuit oratio, alia voluntas et consilia, saepe palam dissimulavit quae secreto fassus est, ideoque cavebimus ne captiosa ista nos decipiat probabilitas. quamvis in illa oratione Cicero Catilinae caput a se protectum esse reticuerit seraque cupiditate reum damnari culpae voluerit, re vera tum cum iudicium factum est non erat eum puditum adesse Catilinae. testatur enim ipse in epistula ad Atticum I 2 scripta anno u. DCLXXXIX mense Sextili simul ac designatos consules seque M. filio auctum amico nuntiavit: *hoc tempore Catilinam competitorem nostrum defendere cogitamus, iudices habemus quos volumus summa accusatoris voluntate; spero si absolutus erit, coniunctiorem illum nobis fore in ratione petitionis, sin aliter acciderit, humaniter feremus.* iam igitur sortitus erat praetor iudices, iam hi consederant, iam descensurum in forum scias et responsurum accusatori advocatum. etsi hoc ipsum, Ciceronem tunc locutum esse non comperimus, etsi aliqui casus Ciceronem eo die aut proximo ne verba faceret apud iudices impedire potuit, tamen suo iure Fenestella Catilinam defensum esse a Cicerone prodiderat memoriae, quia qui paratus stat ac propemodum surgit ad dicendum, sive sidere lingua eius adflatur sive fortuita res quaelubet orationem moratur vel tollit, sine dubio perinde aestimandus est ac si dicendi facultate usus sit. Asconius autem eam epistulam non cognoverat, si enim nosset, non esset contentius adversatus Fenestellae aut ita

disputationem instituisset ut susceptam quidem a Cicerone defensionem Catilinae sed non peractam doceret.

ergo quo tempore Asconius commentarios illos scripsit, id est si Kiesslingi Schoellique rationes sequimur, quo tempore Claudius Caesar diem obiit et Nero imperio potitus est, ne tum quidem in vulgus edita erant Ciceronis ad Atticum epistularum volumina, quae Nepos olim cum in Attici scriniis sive tabulario deprehendisset magnopere admiratus a contexta eorum temporum historia non multum differre iudicaverat. sed paucis annis post Asconii commentarios pervolgata videntur ac primus ex eis locum aliquem ita deprompsit ut exemplar accurate transcriberet Seneca senex in epistula ad Lucilium 97, fortasse ipsa novitate libri pellectus ut et illic et in epistula 118 ad eum deverteretur et quae eo continentur latius explicaret. ceterum male qui ad Atticum epistulas nuper tractarunt Catuli dictum I 16, 6 ex Senecae epistula 97 corrigendum censuerunt. nam primo quidem Ciceronis narrationem Seneca plane ad litteram reddidit praescripto indice libri § 4, deinde autem quae ille rettulerat suo stilo ac sermoni aptavit, itaque brevius Catulus et argutius apud Senecam § 6 *quid vos inquit praesidium a nobis petebatis? an ne nummi vobis eriperentur?* quam in Ciceronianis *quid vos praesidium a nobis postulabatis? an ne nummi vobis eriperentur timebatis?* ex his verbis ultimum qui deleri iusserunt, non modo ingeniorum ac facietiarum inter Senecam et Ciceronem discrimen mutatamque cum ingeniis omnique oratione sententiarum gratiam non curarunt sed etiam a Plutarcho eam ipsam voculam expressam esse neglexerunt in vita Ciceronis cap. 29 *ἡμεῖς ὡς ἀληθῶς ἐπὲρ ἀσφαλείας ἠτήσασθε τὴν φυλακὴν φοβοῦμενοι μὴ τις ὑμῶν ἀφέλῃται τὸ ἀργύριον.*

publici iuris factas esse Ciceronis ad Atticum litteras circiter annum Christi 60 declaravi ideoque adhibere eas non licuisse Asconio. at non meministi, inquis, excerptum ex his epistulis locum ab Seneca iam in eo libro quem ad Paulinum de brevitate vitae misit prius quam Claudius Caesar pomerium urbis protulit et ampliavit id est ante annum 49. ibi enim Cicero nec secundis rebus quietus nec adversarum patiens describitur cap. 5: *quam flebiles voces exprimit in quadam ad [omisit Ambrosiani codicis manus prima] Atticum epistula iam victo patre Pompeio, adhuc filio in Hispania fracta arma refovente? 'quid agam' inquit 'hic quaeris? moror in Tusculano meo semiliber'.* alia deinceps adicit quibus et priorem aetatem conplorat et de praesenti queritur et de futura desperat. Atticianas epistulas Senecam in mente habuisse universa Ci-

ceronis notatione eisque quae 'in eo capite prima posuit mihi probatum est itaque sperno Lipsii coniecturam *in quadam ad Asium epistula* receptam a Baitero atque aliis. sed verissime Lipsius ea verba hodie non legi in Atticiano volumine animadvertit, hoc tantum simile extare XIII 31, 3 *semiliberi saltem simus*. praeter unum hoc vocabulum, praeterquam quod in Tusculano Cicero ita summum ex commutatione rei publicae dolorem professus est, nihil aliud congruit cum vera epistula, neque argumentum nec tempus nec sententia singularis. nec vero quemquam eo uti perfructio velle opinari ut epistolam quam Seneca indicavit ex nostris eius voluminis exemplaribus excidisse sibi persuadeat. immo enim non versaverat tum Seneca suis manibus evolveratve illas epistulas, sed audierat recitantem aut alio modo aliquem earum gustum acceperat memoriterque nihil nisi unum istud novum ac mirabile vocabulum tenebat. exemplar epistularum ad Atticum datarum dum Claudius in vivis fuit Senecae non magis in promptu fuit quam Asconio. Atticus Agrippam generum, Tiberium prognerum, Drusum Caesarem pronepotem habuit, Caesares bonae Ciceronis memoriae consuluerunt. idem Atticus prognerum nactus est Asinium Gallum qui de comparatione patris et Ciceronis libros scripsit et Pollioni *ausus de Cicerone dare est palmanque decusque*. ad Atticum epistolae Ciceronis ut omnibus notae fierent, magis Asiniorum intererat quam fautorum illius et patronorum, certe gloriae Arpinatis oratoris haec editio nihil profuit.

quoniam supra tetigi epistolam gravissimam et iucundissimam qua Cicero iudicium Clodii accusati de religione narrat I 16, nequeo mihi temperare quin unum ex ea mendum tollam. non dolere se ait quod suum contra Clodium testimonium non valuerit, eo minus *quod omnes illi fautores illius flagitii rem manifestam illam redemptam esse a iudicibus confitentur* § 11. non res redempta est a iudicibus sed reus, non id erat manifestum quod nummis impetratum est a iudicibus sed id quod Crassus et Curio et ceteri confitebantur. scribendum necessario *omnes rem manifestam, illum redemptum esse a iudicibus, confitentur*.

X Iuvenalis in satira X perversa ac stulta hominum vota exagitat, exemplis docet quid mali habeant quamque lubricae sint honorum ac divitiarum copiae, fama ingenii, bellica gloria, longa senectus, formae pulcritudo, expetendam a dis esse colligit bonam mentem et bonam valetudinem. aditum ad istam disputationem his sibi facit versibus 54 s. *ergo supervacua aut perniciose petuntur, propter quae fas est genua incerare deorum*. quibus ad

hunc modum conexas sententiam poetae funditus tolli ac perire Madvicus olim perspexit, itaque alterum ab altero disiunxit et imperativum in locum infinitivi substituit *propter quae fas est, genua incerate deorum*. sed neque per se placet repentina haec populi compellatio et admonitio posita in transitu, neque ulla eum versum egere mutatione Lachmannus ostendit si per interrogationem *propter quae* neque aliter dictum accipiamus quam *τίτων ἐνεκα*. restat autem superioris versus corruptela quam et turpis numerorum hiatus arguit et inepta orationis dissolutio, eaque vitia duo una opera eradenda esse idem Lachmannus bene sensit, verum quod sanari omnia dixit scribendo *supervacua aut ne perniciose petantur*, in hoc erravit opinor nec respexit totius satirae partitionem et tractationem. cum enim Iuvenalis eius quam iam aggreditur disputationis longe maximam partem inanibus malisque hominum votis det, digna et iusta perpaucis versibus comprehendat eis qui finem satirae imponunt diu expectatum, non potuit rhetorum usu exercitatus poeta in prima parte tanquam summam omnium hanc facere quaestionem, quas ob res deos votis sollicitare fas esset. immo vero quaerere eum oportuit quibus votis abstinendum esset, aut saltem hanc quaestionem simul cum illa movere. neque igitur dubito quin rerum quas tractaturus erat hac usus sit divisione *ergo supervacua aut quae perniciose petuntur? propter quae fas est genua incerare deorum?*

Bonnae.

Franciscus Buecheler.